



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus Europaeus  
Perperam Dictus**

**Wavre, Philippus van**

**Antverpiae, 1709**

§. 4. Hujus operis scopus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39351**

§. 3.

HUJUS OPERIS SCOPUS.

*Arment in Nos linguas suas, qui ex-  
ulare à Veritate, quam cives esse  
Ecclesiæ maluerunt. S. Prosper cont.  
Collat. cap. 1. Sed ADDE ERUDI-  
TIONEM HUMILIBUS, adde INCRE-  
PATIONEM SUPERBIS. Idem epist.  
ad S. Aug. in fine.*

**Q**uis, post jugilatam, Petri acinace, feralem  
Cornelii Jansenii pentadem, vel unum  
illius caput, recidivo ausu, resuscitandum ali-  
quandò, prælagire potuisset? Quis, post armatas  
contra hanc Lernam omnium dexterarum Antisti-  
tum, quempiam Orthodoxum pro eâ depug-  
naturum credidisset? Quis, post evibrata ex arce  
Angeli in Protogonistas Pentados Jansenianæ,  
fulmina, salutifero timore percussum iri non  
speraret universos, qui efficacis obtentum Gratiæ,  
& Augustinianæ doctrinæ contutandæ prætextu,  
Magistro suo Jansenio nuntium remittere detre-  
ctaverant? Quis non Jansenianorum Jansenium  
ipsum jam imitari gestiret, ubi causa, eâ quâ  
major desiderari non poterat, diligentiam, discussa,  
finita est, & rescripta transmissa, ubi ex *Aposto-* *Corn. Jans.*  
*stolica Sedis, Ecclesiæque Romanæ Matris suæ Judi-* *Epilog.*  
*cio tam humili devotione suspendit ipse Janse-* *pag. 107 L.*  
nius, ut glorianter edit? Sciat, ut illud jam  
nunc teneam si tenendum, revocem se revocan-  
dum, damnem, & anathematizem, si damnandum

B

Ⓔ



## 18 DISSERTATIO

*& anathematizandum esse Judicaverit.* Quis enim ultra addubitet famosam quinariam propositionem, è Libro Cornelii Jansenii excerptam, in naturali ac obvio dicti Libri sensu damnatam, & ut novam, idest Jansenianam hæresim à S. Sede perstrictam esse, quod tam indiffonabili Apostolicæ Cathedræ Antistites oraculo prodidère? Tunc namque Pentas illa confracta est, dum, ad complurium Galliæ Episcoporum instantiam, oblatam Jansenii pentadem perspicuâ cujuslibet articuli censurâ notavit. Hanc verò definitionem suam complexam esse propositiones quinque, non libro Jansenio affricatas, sed revera excerptas, non subobscurè indicatum voluit per verba finalia: *Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ* CONTINENTUR IN PRÆDICTO LIBRO Cornelii Jansenii.

Anno 1653.  
Innoc. X.

Cong. Paris.  
anno 1654.  
28 Martij.

Innoc. X,  
ad Congreg.  
istam die  
29. Septemb.  
1654.

Cumque in Gallia Clerici numero pauci, post hanc Innocentianam dictas propositiones proscriptas se damnare profiterentur, sed in alio planè sensu, quam qui à Jansenio traditus sit, ad quem propositiones illas nullatenus pertinere asserbant; & hoc Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi Parisiis congregati eidem Innocentio Pontifici retulissent, respondit: *fecundum sanè accidit probari nobis luculentius vestræ pietatis zelum in iis partibus obeundis, quas nos omnibus Pastoralis Officii Administris injunximus, ut quæ par est obedientiâ, ubique servari enixè curent* Constitutionem nostram quâ die 31. Maii 1653. DAMNAVIMUS IN 5. PROPOSITIONIBUS CORNELII JANSENII DOCTRINAM EJUS LIBRO CONTENTAM, cui titulus *Augustinus*. Sicque istorum Machinæ paucorum confractæ sunt. At Innocentio ad superos egresso, Pauci illi, resumptis superbiæ viri-



viribus, Religiosissimos Galliae Episcopos exagitârunt, qui eorum cavillationes, & effugia ad Quæstionem *Facti* compresserunt, & ad Successorem Alexandrum VII. scripserunt, qui eodem labente anno acutiore Jansenii defensores mucrone percussit, & argutiunculas circa litteram, sensumque Janseniani prostrati dogmatis ludentes; & Apostolicum Decretum eludentes evanidas & vitreas reddidit, *Filios iniquitatis appellans Cavillatores præfatos. Cum sicut accepimus, inquit Alex. VII. Nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propositiones, vel in Libro ejusdem CORNELII JANSENII non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in SENSU AB EODEM INTENTO damnatas fuisse, asserere cum magno Christi fidelium scandalo non reformident. Pergit, & testatur summam, in discutiendâ Jansenii Doctrina, diligentiam adfuisse; ac tandem pro Pastoralis debito officii, præinsertam Innocentii Constitutionem, Declarationem, & definitionem confirmat, approbat, & innovat, & 5. illas propositiones ex Libro prænominato Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus Augustinus, excerptas, ac in EODEM SENSU, ab eodem Cornelio Jansenio INTENTO damnatas fuisse definit, & declarat.*

Anno 1656.

Alex. VII.  
eodem anno

Cumque recidivo ausu Jansenianam Doctrinam quâ talem, esse Catholicam, & Augustinianam tuerentur; idem Pontifex Constitutionem se edidisse scribit contra *Cornelii Jansenii hæresim in Galliis præsertim serpentem, ab Innocentio X. . . Ferè oppressam ad instar colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros & cavillationum defluxus euntem. Et subdit: sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plenè consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent. Quamobrem, ut non modò*

Alex. VII.  
1664.



hostes percelleret Manifestos, sed & detegeret occultos, & in fidei sinceritate custodiret illæfos, Cautionem de ejurandâ Jansenianâ s. Propositionum proscriptâ Doctrinâ, velut formulam quandam edidit cum hocce mandato: *Formulam infra scriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, nec non etiam aliis quibuscumque Ecclesiasticis Ordinis, tam Regularibus, quam secularibus, etiam Monialibus, Doctoribus & Licenciatis, aliisque Collegiorum Rectoribus atque Magistris subscribi districtè mandamus.* Formula autem nunc omnibus nota est.

*S. Prosper  
cont. collat.  
cap. 4.*

Quodque in partem Gloriæ Zosimo Pontifici S. Prosper adseiscit, quod *contra inimicos Gratiæ non solum Apostolicis, sed etiam regis utebatur Edictis*, cedit id laudi Alex. VII. qui non modò Antistitum dexteras armavit adversum novam hanc hæresim: Sed & Regis Galliarum pietatem animavit, & Joannis Austriaci Belgarum Moderatoris inclyti zelum imploratus, in hunc modum inhortatum venit: *Ne permittas pravæ nonnullorum voces, ac doctrinas latius serpere, pro seminarique, qui magno cum audientium scantalo, ac pernicie, damnatas jam pridem ab hæc fidelium OMNIUM MATRE ac MAGISTRA, Cornelii Jansenii Iprensis olim Episcopi sententiis ALIO SANCTÆ HUIUS SEDIS SENSUM, ac MENTEM PERVERSE trahentes docere, & propugnare non verentur.*

*Alex. VII.  
ad Joannem  
Austriacum.*

Contra Alexandrinam Formulam obluctati sunt rursus Episcopi Nonnulli Gallorum sub successore Clemente IX. Romano Pontifice; ad pristinas Nænas, distinctionesque convolantes, aliamque Formulam Commenti, audiri non meruerant ab ejusdem & Sedis & Fidei Magistro, neque pace potiti, dum ei claresceret,



sceret, quod Juxta Præscriptum Innoc. X. & Alex. VII. *Sincerè subscripissent, & subscribi fecissent* Formulario Alex. VII. additumque voluit dictus Pontifex. Nam *dictorum Prædecessorum nostrorum Constitutionibus firmissimè inherentes, nullam circa illud EXCEPTIONEM, aut RESTRICTIONEM admissuri unquam fuissetus.* Gaudium suum Pontifex contestatur, quod Formulario subscripserint, damnatis 5. Propositionibus IN OMNIBUS *sensibus à fide Apostolica damnatis.* Fallitur proinde Palladius aut fallere nititur, dum Clementis IX. pro pace & tranquillitate defensorum Janseniani dogmatis ævum repetit; fortunatamque Providentiã dicti Pontificis in-  
clamat; ac si sub aliis pactis conditionibusve cum Jansenianis de pace stipulatum, quam cum iisdem Innocentius & Alexander pacti fuerant. Ita præfatur ad Notas Martinianas: *Jam à Lustris fortunatã Providentiã Clementis IX. dissidia de factò Jansenij silebant.* Si dispensatoriè cum aliquibus, clementiusque egerit Clem. IX. fecerunt hoc & alii. Fecit & cum Cælestino Zosimus spe frugis melioris. Nam, ut S. Aug. ep. ad Sixtum, *alii Severius sunt coercendi, alii Vigilantius investigandi: alii tractandi quidem lenius: sed non segnus sunt docendi, ut si non timeantur, ne perdant, non tamen negligantur, ne pereant.* Non itaque Clemens IX. Prædecessorum suorum, pro iniquo fœdere ineundo, sententiæ refragatus est; sed Decretis eorum robur adnexuit, omnem *exceptionem, & restrictionem à formulario exulare decernens.*

Innocentius quoque XII. eodem tramite redivivis Jansenianorum argutiis obviandum, & Prædecessorum suorum Decreta inviolabiliter servanda sancivit. Imò, ne ad extorres à sensu Cornelii Jansenii, sensus Jansenianæ hæresios

Clemens IX.

Palladius in præfatione Spongia.

Aug. ep. 105. & S. Prosp contra col. c. 44.



Innoc. XII.  
1694.

damnatio ablegaretur; Janseniusque, UT INIQUITATIS FILII præcendunt, in tuto constitueretur, emanatis aliorum Pontificum sanctionibus ad omne nubilum dissipandum id lucis affudit, ut non modò *absque ullâ distinctione, restrictione, seu expositione* damnari voluerit, & abjurari dictas propositiones; sed etiam *in sensu obvio, quem ipsa propositionum verba præ se ferunt.* Et ne videatur per hoc additum (*sensu obvio*) Prædecessorum Decreta velle alterata, subnexuit: *prout sensum illum damnarunt summi Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque voluerunt à Christi fidelibus.*

Innoc. XII.  
1696 ad  
Episc. Belg.

Et cum, his non obstantibus elucidationis Pontificæ radiis, umbras in quibus delitescerent captarent Jansenio devoti: idem Pontifex ad Episcopos Belgij hoc Tenore rescripsit: *Non sine admiratione intelleximus Nonnullos in istis diœcesibus reperiri, qui Verbis & calamo ausi fuerint affirmare, supradicto nostro Brevis alteratam seu reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. 16. Octobris 1656. editam; nec non Formularium, ab ipsomet pronuntiatum; cum dicto Brevis UTRUMQUE SPECIFICE confirmetur, & omninò intenderimus & intendamus iisdem adherere, & nequaquam sinere, ut aliquid addatur vel dematur à prædicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, sed quod in omnibus & singulis ejus partibus uti mandavimus, mandamus etiam ad amissim observari.* E quibus invictâ consecutione fluere cernimus, Innocentiano Decreto nolle morem gerere eos, qui Alexandrino Formulario subscribere detrectant aut pertimescunt. Oculatius id inspexit acerrimus licet ac pertinacissimus Jansenii Defensor, ac Jurationis ab Alexandro VII. in Formulario requisitæ impudentissimus Criminator Paulus Aurelius Prolog.



log. Panegy. Jans. Atque ut omninò sincerè, & *Prolog. Pa-*  
*liberaliter agam, fateri compellor, ne quidem pla-* *negy. Sect. 3.*  
*cuisse mihi umquam opinionem istam, quæ vel ex* *pag 59.*  
*ipso primo brevi 6. Febr. 1694. edito, ob verba ista,*  
 quæ AD FIDEI INTEGRITATEM CONDUCUNT,  
 aliquid mitigationis circa Factum tentavit excul-  
 pere, semperque apud me existimavi illud ipsum  
 Breve Janseniano stabiliendo factò potius quam  
 diruendo favere.

Et ante, cum retulisset aliquos, ut sese laqueis *Prolog. ga-*  
 periculosa jurationis expediant (ita infit iste re- *leat. Panegy.*  
 merator) eo temporis articulo, quo formularium sine *Jansen. fol. 58*  
 restrictione ulla Jurejurando firmant, per reserva-  
 tionem mentalem apud animum suum nussitent:  
 Juxta mentem Pontificis: hoc est, Juro in For-  
 mularium juxta mentem Innoc. XII. qui in Brevis  
 suo testatum fecit, se Constitutionibus Prædecesso-  
 rum suorum adherere dumtaxat in iis, Quæ ad  
 ORTHODOXÆ FIDEI INTEGRITATEM conducunt;  
 adeoque Alexandrina Bullæ, ac Formularij inde pro-  
 manati duritiem, quâ parte factum continet, mi-  
 tigavit. Hoc effugium non probat Paulus Au-  
 relius Jansenianorum licet Antesignanus, timet-  
 que suos periculosa Jurationis objectare pericu-  
 culis, præamatque juxta nullius Formularium  
 jurare Pontificis. Et Innocentium XII. quod at-  
 tinet, asserit Alexandri VII. Constitutioni ac  
 Formulario apprime consonare. Sed jam supra  
 ostensum est, inquit, pretextus illos speciosos per  
 Breve 24. Novembris 1696. subsecutum non obscure  
 rescisos esse, & vanos redditos. Etenim Breve istud  
 distinctissimè BINA imperat, nimirum & damnari  
 quinque propositiones in sensu obvio; & damnari  
 easdem HABITO RESPECTU OBVII SENSUS DICTI  
 FORMULARII; qui postremus certè obvius sensus,  
 nisi omnium oculos configere Velis, juxta receptum  
 à totâ hominum societate loquendi morem, factum  
 ipsum



ipsum verbis vehementissimis, ac splendidissimis ingerit. Hinc & prohibet Pontifex suo arbitrio à quoquam effingi sensum obvium: præcipitque ut Episcopi contra eos procedant, qui voce aut Scriptis edant proprios sensus Apostolicarum Constitutionum sensui dissentaneos. Concludit Jansenista: Si non aliud quam sensum obvium ipsarum propositionum damnatum Pontifex voluisset; omnia ista, quæ de ALEXANDRI CONSTITUTIONE ET SENSU OBVIO ipsius Formularij tam sollicitè inculcantur, prorsus inutilia, parerga, & supervacanea essent; Quod enim verò in BREVI tam succincto, ac Verbis tam delectis nervosisque præscripto, nefas sit arbitrari. Atque ita, ut ille arguit, aut Janseniarum s. propositionum condemnationem jurejurando confirmas juxta Formularium Alexandrinum, & periculosa jurationis periculis te objicis; aut juxta Innoc. XII. Breve *In sensu Obvio* idem præstas; & nec sic laqueis periculosa jurationis te eximis: quia eadem utriusque Pontificis expressa sententia te involvit. Unde Jansenista esse non desinit, qui Innocentianam Venerari se profiteretur, & Alexandrinam cum Formulario suo Constitutionem amplecti reformidat. Ad alium Jansenianæ hæresios Profligatorem properemus.

Tandem cum memoratorum Apostolicæ Sedis Antistitum definitionibus mortiferis ausibus rebellare non desisterent nonnulli Jansenii perversissimi defensores: beatissimus Papa Clemens XI. (diu regnet in terris, ut cum B. B. Apostolis Petro & Paulo triumphet in Cælis) coactis in unum Prædecessorum suorum Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. Innocentii XII. Quinque Cornelii Jansenii propositiones damnantium Decretis; Authoritatis Apostolicæ munimen adjecit, eaque concordissimâ  
sibi



fibi consensione cohærere declaravit, ac insuper addidit: *Ut quævis in posterum erroris occasio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ Filij Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam & impij in tenebris conticescunt) sed & iterius obsequendo, quæ vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hæc nostrâ perpetuo valiturâ constitutione: Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri; sed DAMNATUM in quinque propositionibus JANSENIANI LIBRI SENSUM, quem illarum verba præ se ferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum, non solum ore, sed & corde rejici, ac damnari debere; nec aliâ MENTE, animo, aut CREDULITATE supradictæ Formulæ subscribi licitè posse.*

Clemens  
PP. XI const.  
vineam Do-  
mini 1705.

Itaque quod adversum Pelagianos olim Dominus operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Celestino, Xisto; egit contra Jansenianam Pentadem in quinque ejusdem Sedis Antistitibus Innoc. X. Alexandro VII. Clemente IX. Innoc. XII. ac Clemente XI. Causa utraque Romæ finita, utinam posterior, ut prior, finiatur error. Hujusmodi hominum pravitati non tam disputationum studio, quam Authoritatum privilegio resistendum foret, ut de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sineretur asurgere. At cum & ipsam Sedis Apostolicæ Cathedram evertere, & summos Pontifices rabido ore discerpere aliqui non vereantur, omniaque Authoritatum munimina se posse convellere autument, si Cornelii Jansenii librum possint innoxium reddere, aliis armis eos debellandos existimavi. Non argumentis cedent nostris, qui Matris ac Magistræ Fidelium omnium non acquievère monitis, præceptis, minis atque fulminibus, nisi Deus miseretur; qui signa dat infidelibus non fidelibus,

S. Prosper  
contra coll.  
c. 44.

Ibid.



bus, quibus infidelitatem pellere præparat. Aderit, Spero, Dominus, sicut adfuit iis, qui contra impios & Christo professos inimicos Evangelium defendêrunt. Miserebitur & filiorum iniquitatis, ut quos Ecclesia Catholica & maternâ lenitate sustinuit, & judiciariâ severitate, vel potius medicinali necessitate damnavit, *aliquando intelligant, non litigent ut non intelligant; quod dicimus intendant & non contendant, illuminentur, & non calumnientur.* Sed quis ordo dispositionis meæ sit, video præmittendum.

*Ianf. in  
Epilog.  
Pag. 1071.*

*Aug. l. I.  
cons. Iul. c. 4.*

Primo itaque pro gloria Matris ejusque iudicio tuendo, *cujus mysterijs infantulus inihiatus, cujus fide cum lacte imbutus fui, & crevi & adolevi, & senui* (verbis utar Jansenii contra Jansenianos) cujusque trutinæ mea cuncta subjecio; depugnaturus venio contra eos, qui Matris viscera lacinant, obliti cujus filij sint, quod S. Aug. improperat Juliano: *Et fides ista Christiana est, & te certè occidentalis terra generavit, & occidentalis regeneravit Ecclesia.* Et alibi, se memorem Patris ejus memoris ajebat, cui id gratulabatur, quod vitâ functus esset, priusquam filium ex Adam malè natum, sed in Christo renatum, videret hæreticum. Quod & gratulamur Jansenio, quod hinc excesserit, priusquam cerneret discipulos suos hæreticos, cum jam in aperto sit, saltem per assiduas Jansenii Apologias, & Ecclesiæ Catholicæ pro causa Jansenii Jansenianorum rebelliones, veros, non Phantasticos Jansenistas Matrem laceffere. Pro irrefragabili & irretractabili, inquam, Sedis Apostolicæ oraculo iudicioque (quod & multi alij præstiterunt) contra quinque famosas propositiones è libro Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi excerptas & in ejusdem obvio sensu damnatas, defendendo,  
me



me vadem constituo, & convicturum confido ex ipso Cornelii Jansenii volumine, & excerptas ex eo non malitiose, nec fictè propositiones præmemoratas, neque libro isti affricatas, sensumque damnatum non Calvino, Luthero, aliisque Erronibus vindicandum: sed libro Janseniano, ut sætum proprium, tribuendum. Unde clarescet, quod Sedes Apostolica, studio vehementiore, diligentiorique sagacitate librum Jansenianum inspexerit, mensuras sensuum libraverit, pondera locutionum trutinaverit, numeros syllabarum eventilaverit, pretiosum à vili discreverit, ut Catholico licet Doctori (quod & olim accidit) notam erroris affigeret, & pro merito suo erroneum judicaret, prout judicavêre jam Romani Pontifices. Sicque apparebit æquius hujus Sedis fuisse judicium, quam fuerat aliorum, quos antea securus favor erga Jansenii personam, merita, sapientiamque devotus, & benignitas censurantium librum ejus injuriosa non viderat.

Et cum, licet ad solis oculum evictum monstrares dictas 5. Propositiones, saltem quod sensum attinet, in libro Janseniano delitescere, pertinacissimè tamen inficias eant in sensu Jansenii damnatas esse aut, quod amplius, damnabiles esse, hoc unico Clypeo protecti; quod Cornelii Jansenii Augustinus sit Augustinus alter, quem Vaticana non feriant fulmina, & Augustinum unum ut ovum ovo esse similem, ideoque unum sine altero sauciari non posse; Augustinus ipse, quem appellant, judex eorum stabit, pro sua sinceritate ac integritate doctrinæ certabit, Janseniumque in quinariâ propositione damnatâ suum non esse monstrabit, & confutabit. Hoc alterum est hujus operis Molimen: *Augustinum Ipresem per Hipponensem sternere,*

i nere,



*nere*, ut quo duce viginti amplius annis contra inimicos Gratiae Dei, Catholica acies pugnavit, & vicit, eodem quoque ductore, atque victore contra novam Jansenianam hæresim, Christo, *Gratiae ejus*, ac *Libertati Christiana inimicam* triumphasse Catholica gloriatur Ecclesia. Hoc est quod titulus ipse præfert: CORNELII JANSENI AUGUSTINUS, &c.

Ut exinde videant Janseniani libri Vindices se zelo indiscreto pro S. Augustini doctrina decertare *Jansenii Augustinum* tuendo: atque de se verificari, quod magnus Gregorius de trium capitulorum defensoribus, obrentu Chalcedonensis Synodi sese tuentibus dixit: *Quem hac nostra Declaratio non sanat, non Chalcedonensem Synodum diligit, sed Matris Ecclesiae sinum odit.* Adsit nobis Magnus ille hostium debellator, qui *turrim fortitudinis ipsam Gratiam* tenens, & exinde cuncta hostilium Machinamenta telorum Cælestis juveninis virtute confregit, non solum ipse victoriam referat: sed & certandi & vincendi ordinem, ostendat; præsertim cum ejus armis, id est verbis indutus ac phaleratus inimicus incedat. *Augustinus est* qui in clamatur, *Augustinus est*, qui triumphet, ut Augustinus alius justè damnatus censeatur, quia ab *Augustino damnatus convincetur priusquam natus.* Itaque à Cornelii Jansenii cum Apice Doctorum dissensione perfectissimâ ducendum exordium. Hanc si ego documentis claris ac validis confirmaverò, non spernendam, credo, ad dissidia illa luctuosissima, quæ non inter Ecclesias hodieque fervent, sed ab irrequietis Privatorum animis adversum unam sanctam Catholicam Ecclesiam eientur, non sine debitæ erga Sedem Romanam subjectionis temeratione, verè fidelium scandalo, ac præsertim eo loci ubi Petri gla-



gladius violenter cohibetur, offensione multorum, compugnantibus inter se suggestibus & aris, ubi quisque è Cathedra definit, & Romanæ Cathedræ, unde pendent omnia, voces non admittit: Quasi non sit Ecclesia *populus sive Grex Pastori adunatus*. Sic arma dantur hostibus manifestis *sic firmi fatigantur, infirmi capiuntur, medii cum scrupulo dimittuntur*. Tertull. de Præscript.

§. 4.

Non purgat Cornelium Jansenium, quod errorem acerrimè impugnaverit Pelagianum.

*Posunt enim duò errores inter se esse contrarii, sed ambo sunt detestandi, quia sunt ambo contrarii veritati.*  
S. Aug. l. 2. ad Bonif. c. 2.

Quamquam plurima digna Deo, Religione Catholicâ dignissima, nec Augustino indigna scripserit Illustrissimus Iprensium Episcopus Cornelius Jansenius; & implacabili Pelagianos odio visus sit insectari: & pro veræ Gratiæ defensione per ipsum Augustinum in multis sine periculo depugnaverit gloriosè; non ideò à damnatæ Pentados erroribus immunem fuisse credere possumus, aut debemus: cum nos Ecclesiæ Catholicæ Authoritas aliud doceat, & ipsa Jansenii monumenta eidem consona persuadeant. Quod Pelagianos impugnaverit, benè fecit: nam hæresim istam non solum fides Catholica